

PRAECLARA ORCELENSIS ACADEMIA:  
 HOS TIBI MERITO FRUCTUS ACADEMICOS EX TUO  
 PERENNI FONTE PERCEPTOS, DOCTRINA TUA, OPERA, ATQUE INDUSTRIA  
 A ME ADQUISITOS TUAE SVB VMBRA  
 PROTECTIONIS ACCIPIAS. D. O. ET C.  
 D. JOANNES BENEDECTUS RIQUELME  
 JURIS CIVILIS PROFESSOR.

EX LIB. I.

- I. **P**ROUT JUSTITIA EST HABITUS animi, merito constans dicitur, et perpetua voluntas. Leg. 1. tit. 1. P. 3.  
 II. Licet bruta vestigio quodam rationis saepe sapius operentur; in illis tamen jus naturale formaliter sumptum non adest. Leg. 2. tit. et P. 2.  
 III. Ut homo liber per sui ipsius venditionem servus efficiatur, debet pretium participare. Leg. 1. tit. 24. P. 4.  
 IV. Qui ex justa servitute sunt manumissi, recte Libertini appellantur. tit. 22. P. 1.  
 V. Manumissio in fraudem creditorum facta, ipso jure nulla est. Leg. 24. tit. 3. P. 6.  
 VI. Institutio servi a domino facta in fraudem creditorum, sive cum libertate, sive absque ejus expressione; ex 2. Cap. Legis Aeliae Sentiae sustinetur. Leg. 3. tit. 3. P. 3.  
 VII. Potestas, sive jus vitae, et necis in servos, aequitate juris, et D. Antonini constitutione modificata censetur. 6. tit. 1. P. 4.  
 VIII. Liberi naturales ex concubina suscepti in domo reterta, per subsequens matrimonium cum illa contractum, legitimantur. Leg. 1. tit. 13. P. 4.  
 IX. Adoptio facta ab extraneo jura patris naturalis non dissolvit; bene verò si facta sit ab ascendenti. Tit. 16. P. 4.  
 X. Licet adoptio sit imago naturae; plena tamen aetas debet praecedere ad adoptandum. Tit. 16. P. 4.  
 XI. Quia deportatio Civitatem tollit Romanam, filii per illam a patria potestate liberantur; non verò per Relegationem. Leg. 2. et 3. ejusdem.  
 XII. Tutela (auctore Sulpitio) vis est, atque potestas in capite libero &c. Leg. 1. tit. 16. P. 4.  
 XIII. Haec tamen parentibus est permissa in testamento a Leg. XII. tab. respectu filiorum in potestate existentium. Leg. 3. tit. 16. P. 6.  
 XIV. Tutoris auctoritas in omni pupilli negotio debet intervenire, ex quo ejus conditio fieri possit deterior. Leg. 57. ejusdem.  
 XV. Quam ob causam absque illa pupillus neque hereditatem adire, neque bonorum possessionem, neque fideicommissum valet accipere. Leg. 13. tit. 6. P. 6.  
 XVI. Ita tutoris auctoritas, ejusque praesentia in pupilli negotio est necessaria; ut ipsius rati habitio nihil operetur. Leg. 17. tit. 16. P. 6.  
 XVII. Maxima, et media capitis diminutione tutoris, omnis perit tutela; legitima tantum, si minima tutori contingat. Leg. 21. tit. 16. P. 6.  
 XVIII. Adolescentes non nisi volentes Curatores accipiunt, casu litis exempto. Leg. 13. tit. 16. P. 6.  
 XIX. Ut prodigo detur Curator, debet ut talis esse a Jure declaratus. Leg. 13. ejusdem.  
 XX. Perpetuo laborantibus morbo dandi sunt Curatores. Leg. 13. ejusdem.

EX LIB. II.

- I. **D**OMINIUM NOVAE SPECIEI FACTAE ex aliena materia, regulari debet secundum mediam Imperat. Sententiam. Leg. 33. tit. 28. P. 2.  
 II. Bonae Fidei Possessor, licet diverso respectu, et dominio, facit indistincte suos omnes fructus. Leg. 39. ejusdem.  
 III. Dissensio in causis tradendi, et accipiendi non impedit dominii translationem; si utraque habilis est, et idonea. Leg. 46. ejusdem.  
 IV. Cessio usufructus extraneo facta nihil operatur consolidationem verò, si facta sit proprietario. Leg. 24. et 25. ejusdem.  
 V. Mala fides haereditis non nocet usucapioni, si defunctus justum habuit possessionis initium. Leg. 24. tit. 29. P. 3.  
 VI. Licet maritus sit vere dominus rei dotalis, Lege Julia prohibetur illam alienare. Leg. 7. tit. 11. P. 2.  
 VII. In testamenti ordinatione nullus actus extraneus debet intervenire. Leg. 1. tit. 1. P. 6.  
 VIII. Neque haeres scriptus, neque fideicommissarius possunt esse testes in testamento; bene verò legatarius. Leg. 11. tit. 1. P. 6.  
 IX. Institutio filii in potestate existentis, vel ipsius nominatim facta exhereditatio, prima basis est testamenti. Leg. 3. tit. 7. P. 6.  
 X. Servi alieni institutio ex persona domini sustinetur. Leg. 2. et 3. tit. 3. P. 6.  
 XI. Conditio impossibilis in haereditis institutione, legato, vel fideicommissum apposita, pro non scripta reputatur; si verò contractibus apponatur, illos evertit, et vitiat. Leg. 3. tit. 4. P. 6.  
 XII. Substitutio Vulgaris in suo haerede non operatur in casum impotentiae; sed noluntatis, et abstinentiae. Tit. 5. P. 6.  
 XIII. Legatum rei alienae, sive testatoris, sive haereditis commercio exemptae, validum est, dummodo extra Legatarium commercium non inveniat. Leg. 3. tit. 9. P. 6.  
 XIV. Jus accrescendi datur inter cohæredes ex juris necessitate, inter collegatarios verò ex praesumpta testatoris voluntate. Leg. 33. ejusdem.  
 XV. Si testator, postquam rem suam legaverit, nulla necessitate compulsus illam alienaverit; quia adest animus adimendi, finitur legatum. Leg. 40. ejusdem.  
 XVI. Si creditor debitoris suo liberationem legaverit, utile est legatum. Leg. 41. tit. 9. P. 6.  
 XVII. Si alienus servus legatus, absque haereditis facto fuerit manumissus, haeres liberatur ab obligatione. Leg. 41. ejusdem.  
 XVIII. Error nominis, vel cognominis legatarii non vitiat legatum; si de ipsius constat persona. L. 13. tit. 3. P. 6.  
 XIX. Translatio legati semper ademptionem supponit haec tamen non semper illam producit. Leg. 39. tit. 9. P. 6.  
 XX. Lex Falcidia tantum habet locum in bonis, quae (deducto aere alieno) supersunt. Leg. 2. tit. 11. P. 6.

EX LIB. III.

- I. **M**UTUUM PROPRIE IN REBUS numero, pondere, ac mensura fungibilibus consistit. Leg. 2. tit. 5. P. 5.  
 II. Commodatarius non solum latam, et levem; sed etiam levissimam culpam tenetur praestare. Leg. 1. tit. 2. P. 5.  
 III. Dies purae stipulationis statim cedit, et venit quia id, quod promissum est, efficaciter peti potest. Leg. 12. tit. 11. P. 5.  
 IV. Stipulatio facta a servo haereditario haereditari acquiratur, et per istam futuro domino. Leg. 7. tit. 11. P. 5.  
 V. Fidejussor in maiorem summam, quam principalis, nequit obligari; et si ita eveniat, dumtaxat in excessu vitatur obligatio. Leg. 7. tit. 12. P. 5.  
 VI. Si plures pro uno debitore fidejubeant, beneficio divisionis ex epistola D. Adriani juvantur. Leg. 8. tit. 12. P. 5.  
 VII. Fidejussoria obligatio transitoria est ad haeredes. Leg. 16. tit. 12. P. 5.  
 VIII. Nulla est venditio, si definitio pretii generaliter arbitrio alieno relinquatur; valida tamen erit, si arbitrio certae personae. Leg. 5. tit. 5. P. 5.  
 IX. Perfecta venditione, non dum tamen re tradita, periculum rei pertinet ad emptorem. Leg. 23. tit. 5. P. 5.  
 X. Sicut pretium emptionis, ita etiam merx locationis in numerata pecunia debet consistere. Leg. 1. tit. 8. P. 5.  
 XI. Si nihil de partibus lucris, et damni inter Socios fuerit conventum; ex natura contractus aequalitas servari debet. Leg. 3. et 4. tit. 50. P. 5.  
 XII. Cujuscumque socii morte, sive naturali, sive civili finitur societas. Leg. 10. tit. 10. P. 5.  
 XIII. Qui fines mandati excedit, aequitate juris in concurrenti summa actione mandati tenetur. Leg. 25. tit. 52. P. 5.  
 XIV. Tutoris obligatio prout ex quasi contractu proveniens, ultra latam, et levem culpam non progreditur. Leg. 23. tit. 16. P. 6.  
 XV. Indebiti solutio quasicontractus speciei debet accomodari. Leg. 28. tit. 14. P. 5.  
 XVI. Ut vera solutione ejus, quod debetur, tollatur obligatio, requiritur, ut debitum simul, et semel solvatur. Leg. 3. tit. 15. P. 5.  
 XVII. Si debitor necessitate coactus aestimationem pro re debita praestat, verè tollitur obligatio. L. 3. ejusdem.  
 XVIII. Consignatio debiti, seu depositum a debitore, vel alio ejus nomine facta, vim solutionis habet, si creditor absque justa causa ejus acceptance non recusat. Leg. 3. ejusdem.  
 XIX. Acceptilatio licet imaginaria sit solutio, aequitate juris veram tollit obligationem. Leg. 3. ejusdem.  
 XX. Novatio, quia novam producit, verè primam tollit obligationem. Leg. 3. ejusdem tit. et P.

QUAS PUBLICO CERTAMINI OFFERT, QUI SUPRA DIVINO FAVENTE NUMINE, SUB TUTAMINE D. D. D. THIMOTEI CAVANES, JURIS UTRISQUE Examinatoris, et alterius Cathedrae Institutionum Moderatoris, in hac Pontificia, ac Regia Universitate, ejusque liceo. Die 19 Mensis Maji Anno D. M. DCC. LXXX.

Vt. D. D. Petrus Lespault, Univ. Rector. Vt. Balaguer C. Rs.

ORIOLAE: APUD JOSEPHUM ALAGARDA, ET PETRUM XIMENEZ ET LOPEZ.

R. 20.756



Mane Hora 8.<sup>a</sup>

TRAFIC ALA OR CHELLENIS ACADEMIA

THE ADOPTION OF THE

UNIVERSITY PROFESSOR

Faint, illegible text in the left column of the middle section.

Faint, illegible text in the middle column of the middle section.

Faint, illegible text in the right column of the middle section.

Faint, illegible text in the left column of the bottom section.

Faint, illegible text in the middle column of the bottom section.

Faint, illegible text in the right column of the bottom section.

Faint, illegible text spanning the width of the bottom section.

Faint, illegible text spanning the width of the bottom section.

